vero Molanum quamvis ærumnose, et novis ami- de Ao 1566.
cis paratis nequaquam oblivisci veterum, sed vestra
imprimis beneficia grati animi memoria complecti.
Quod autem de doctrina pietatis scribam, ut ex
parte cognoscas mittere ausus sum, tua fretus man-
suetudine, carmen vero illud quidem eruditum, sed
tamen ex animo his proximis feriis in meditatio-
ne passionis Christi a me compositum, quod habeto
aliquam meæ fidei quantulacunque esset poeniten-
tiæ significationem. Porro si cognoscere se nos re-
sciscas aut non aspernabitur tua equitas aut gra-
viorum curarum distractione non impeditur in-
telliges (ni fallor) neque prorsus malanos mente præ-
ditos esse, neque ullis nisi sanæ doctrinæ causa patriis
commoditatibus carere. Vale Doctor venerande Duis-
burgi 5 Calendas Maij 1566.

Multis beneficiis tuæ boni-
tati obnoxius
Johannes Molanus.

D. Jeronymus Commelin Emdæ 201.)

Pax Christi.

Postridie B. Johannis et reddita nobis sunt ve- [= Mscr. A. 7 =
stræ literæ nummatæ et Jacobus vester paucis an- Nr. 61]
te horis nuntio Coloniam petenti suas commisit.
Primum quod te scribis vir optime societatem inter
nos perpetuam amicitiam arctissime conserva-
re magnæ mihi voluptati fuit, quod re ipsa sæpe com-
peri, id etiam in epistola tanquam in quodam animi
tui speculo expressum videre. Et gratias ago Deo
patri nostro, quod in spem futuræ resurrectionis
aliqua luce suæ sanctitatis in filio dilecto conglu-
tinaverit animas nostras. Colligit M. Tullius

veras amicitias sempiternas esse, quia virtus, quae conciliat amicitias clara aeternaque habetur. Atqui ex historiis facile potest ostendi etiam praeclaram virtutem in magnis et praestantibus, (ut in Saule Rege et in Doctore Salomone, in Pausania, in Alexandro, in Hercule) aut debilitatam aut etiam extinctam esse. Usque adeo nihil non mortale, nihil non caducum tenemus, neque in corporis neque in animi bonis nisi divinitus conservetur. Apparet ergo ne virtutem quidem ipsam satis esse firmam ad amicitiae perpetuitatem, nisi spiritus aeternitatis quem ex plenissimis fontibus Christi fontibus haurimus quasi quidam cordium ferruminator accedat. Eum supplex rogo unum cum Patre et Filio Deum ut semper illucescat mentibus nostris, semper in cordibus excitet motus sibi placentes. Amen. Praeterea de argento tam opportune ad me misso certe gratias ago, nam incredibile videretur (Cassio) si scriberem ista rerum mearum tam longinqua translatio, quam prope omnem mihi succum extraxerit, et pumice (quod ajunt) me aridiorem reddiderit. Acceperam Bremae in sumptum praesentis anni daleros 8. his nunc adjecisti sexdecim. Sunt ergo daleri 24 quos me fateor in sumptum annui victus filii tui Cornelii recepisse 27 Junii 1560 Duisburgi. Postremo, gratum fuit nobis tuae conjugis munus, studebimusque gratiam referre, Filius tam mihi carus est, quam qui maxime. Secundet Deus labores nostros, nos dabimus operam sedulo ne neperat impensa

satis bonos progressus facis, spero fore ut posteriora
prioribus respondeant. Vale. Delectat me non parum ve-
stri pietas quam dum satis perspectam nunc gaudens in
ipsius officiosa epistola recognosco. Exaedificet Dominus quod
coepit in te bonum operari, et te et piissimam conjugem
diu servet familiae et Ecclesiae incolumes ad suam gloriam
et multorum salutem, amen. 28. Junij 1560 Duisburgi.
Salutem precor D. Pastori et reliquis fratribus.

Johannes Molang.

D. Herberto à Langen Bremae 202.

Pax Dei per Jesum Christum.

Quasi non satis amara sit mihi, venerande frater in
Domino, tam longis intervallis disjuncta consuetudo,
quae fuerat isthic vobiscum dulcissima, huic malo accedit, [Ausscr. a. 7 = Nr. 62]
quod meae functionis tumultus me penè totum sibi
vindicans tum oppidi hujus recessus et solitudo nullam
aut sanè raram dandi isthuc literas occasionem o-
stendens. Itaque qui mihi Bremae semper visus sum in pa-
tria vivere, ubi cum bonis vixi, hic domum me sentio
exulem esse ubi cognoscendi amicorum ne umbram qui-
dem ullam nancisci possum. Socerum quidem hic unum
habeo justum hominem et amantem mei, sed is ita
suis quibusdam studiis involvitur, ita coelo terraque
dimetiendis destinetur atque distenditur, ut per ra-
rò possit vel mihi adesse, vel me admittere. Proinde
etiam cum in scholis versor et cum desideo domi, ea quae Bre-
mae molesta videbantur magnificè requiro. Sic tamen
ut in Dei vocatione acquiescens, nihil querar ne verbis,
et me ipse consolans fruar futurorum expectatione,
interea solitudo et amicorum inopia bonorum, piae con-
jugis et puerorum societate sarcitur. Hi dum adsunt
stat sententia οὐκ ἔτι καρδίαν ἐσθίειν οὐδὲ μέμφεσθαι,